

XII

AD VERGILIVM

Asclepiadeo-Glyconicus

Iam v̄eris comitēs, quae mare temperant,
Impellunt animae lintea Thrāciae ;
Iam nec prāta rigent, nec fluvīi strepunt
Hibernā nive turgidī.

Nīdum pōnit, Ityn flēbiliter gemēns,
Īnfēlīx avis, et Cecropiae domūs
Aeternum opprobrium, quod male barbarās
Rēgum est ulta libīdinēs.

Dīcunt in tenerō grāmine pinguium
Cūstōdēs ovium carmina fistulā,
Dēlectantque deum, cūi pecus et nigrī
Collēs Arcadiae placent.

Addūxēre sitim tempora, Vergilī :
Sed pressum Calibus dūcere Līberum
Sī gestīs, iuvenum nōbilium cliēns,
Nardō vīna merēbere.

Nardī parvus onyx ēliciet cadum,
Quī nunc Sulpiciīs accubat horreīs,
Spēs dōnāre novās largus, amāraque
Cūrārū ēluere efficāx ;

Ad quae sī properās gaudia, cum tuā
Vēlōx merce venī : nōn ego tē meīs
Immūnem meditor tingere pōculīs,
Plēnā dīves ut in domō.

Vērum pōne morās, et studium lucrī,
Nigrōrumque memor, dum licet, īgnium ;
Miscē stultitiam cōnsiliīs brevem :
Dulce est dēsipere in locō.